



## The Holy See

---

**IOANNES PP. XXIII NUNTIUS RADIOPHONICUS DATO  
IN DIE FESTO PENTECOSTES,  
AD RADIOPHONICAM TERMINANDAM PROPAGATIONEM  
SEPTEM STROPHARUM HYMNI « VENI CREATOR »,  
QUAE IN SEPTEM TEMPLIS MAXIMIS, PER EUROPAE FINES, DECANTATAE ET A  
PRAESULIBUS EXPLICATAE SUNT** \* *Die 17 Maii mensis a. 1959.* Gaudemus, gratulamur, laudamus, quod,

hoc Pentecostes sacratissimo vertente festo, per aetherias undas hic compositus effectusque conventus quodammodo id instaurat, quod in Hierosolymitano Cenaculo evenit, ubi Christi Apostoli caelestibus infiammati sunt ignibus, et e multis terrarum orbis regionibus advenis, qui illuc confuixerant, admirationem et stuporem induxerunt: « Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei » (1). Per christianae Europae fines, in septem sacris aedibus principibus hymni «Veni, Creator Spiritus» strophae, alia post aliam, ardenti pioque modulamine decantatae sunt. Religiosis perfundimur laetitii: hoc est canticum novum, canticum caritatis, canticum adeptae victoriae, coniunctionis, pacis; haec sunt epinicia Dei. Agite, dilectissimi Nobis, mirabilia recolentes, quae hodie dextera Excelsi perfecit, uno animo, una voce, summo religionis obsequio sanctae Trinitati et indivisae Unitati Dei, almae Sionis aemuli, caelitus effusis repleti gaudiis, gloriam concinamus. Laus, honor, gratiarum actio Deo, Patri et Filio et Spiritui Sancto, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. In augustam et venerandam Trinitatem sinceram profitentes fidem, voluntate et actione Ei placeamus, ut innoxii, casti et ab insidiis tuti ad litus sempiternae vitae feliciter perveniamus. Benedictio et pax universis vobis, et vobiscum Dei lux et praesidium maneant semper. Amen.

---

\* AAS. vol. LI, 1959, pp. 195-197.(1) Act. 2, 11.

---